

**1998-11-28 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Gorensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***GORENSIS\****

**NOVA DIOECESIS CONDITUR IN CIADIA,  
GORENSIS APPELLANDA**

Diligentem sane curam continenter adhibemus ut Domini salutare nuntii ipsiusque praecepta omnia loca contingant et quam efficacissime gentes. Idcirco Nos cuncta disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, consentiente Venerabili Fratrem Didaco Causero, Archiepiscopo titulo Metensi atque in Ciadia Apostolico Nuntio, haec statuimus et decernimus. Novam dioecesim condimus *Gorensis* appellandam, quae meridianum territorium Subpraefectarum civilium, vulgo Goré et Baïbokoum, ipsumque ab Ecclesiis Munduensi et Dobana seiunctum, complectetur. Novam dioecesim metropolitanae Ecclesiae Ndiamenanae suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Cathedram episcopalem in tempio Sanctae Mariae Angelorum, in urbe sito quod *Goré* vocant, locamus. Cetera vero secundum leges canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Didacum Causero, quem supra memoravimus, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodetricesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO  
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Carmelus Nicolosi, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S, vol. XCI (1999), n. 3, p. 245